

942. 1563, OCTOBER 17. — Pius IV vermaant Willem van Oranje <sup>1)</sup>, dat hij uit de stad Oranje de ketters streng were.

Dilecto filio, nobili viro, Gulielmo de Nansau (*sic*), principi Auraicensi Pius papa quartus.

Dilecte fili, nobilis vir, salutem et apostolicam benedictionem.

Non latere Nobilitatem Tuam potest, ut magna multitudo haeticorum hominum egentium ac perditorum, qui vulgo Ugonoti dicuntur, jam pridem in oppidum ditionis tuae, comitatu Venaissino nostro vicinisissimum, tanquam latrocinii asylum se receperint; quo ex oppido progressi omnibus fere ipsius comitatus castris et oppidis, quae munita non erant, occupatis, tantas calamitates miseris ejus comitatus incolis intulerunt, quantas non facile his litteris explicare possemus, diripiendo omnia et depopulando, non a prophanis, non a sacris rebus et locis manus impias abstinendo, incredibili quadam rabie et odio illam ecclesiasticae ditionis regionem pervastando, totque et tanta scelera religionis, ut appellant Reformatae, praetextu admittendo. Quanto dolore animi afficiamur ex illis fidelium et dilectorum subditorum nostrorum miseriis Nobilitas Tua facile existimare potest; nec dubitamus, quin tibi quoque displiceat, eos tantopere vexari. Scimus enim te virum esse Catholicum, sicut majores tui

---

1) Zijn onderdanig antwoord aan den paus, d.d. 17 Dec. 1563, is gedr. *Collection de documents inédits* (Madrid 1844), IV, p. 294.

semper fuerunt. Pro certo habemus te moleste ferre tam graves tuae, et omnium Christifidelium matri ecclesiae Romanae, injurias inferri. Verum illa haereticorum manus non majore nos ac Sedem Apostolicum injuria et dedecore quam te ipsum afficit, quae tanta tua cum contumelia illud ditionis tuae oppidum ad grassandum et latrocinandum sibi deligere ausa est. Non igitur tantum de salute subditorum nostrorum agitur, etiam de tuorum. Non violata fuit solum dignitas Apostolicae Sedis, violata etiam fuit aestimatio tua et magna praeclaro nomini tuo aspersa macula et labes imposita. Oppidum illud antiquum, ex quo nobile cognomen tuum et insignem titulum accepisti, hoc tempore verbo tuum est, re vero in haereticorum est potestate. Quousque igitur, dilecte fili, lento animo pius Ecclesiae filius feres tantas injurias Ecclesiae? Quousque dissimulabis, vir generosus ac nobilis, tantas tuas ipsius contumelias? Quandiu abutentur viri impii et sacrilegi patientia tua? Excita, quaesumus, virtutem tuam! Memento quam claris majoribus ortus sis; quam turpe tibi sit hanc famam vulgari, hoc memoriae posteritatis prodi, Auriacae principis oppidum connivente illo factum esse alteram Genevam, receptaculum haereticorum, castellum latronum, asylum hostium Ecclesiae. Non erit difficile illos expellere, si nos adjuvare statueris. Nos quidem, qui pro officio, quod sustinemus, tanta et tam atrocita in Deum et religionem Catholicam ac fideles, Ecclesiae subditos, admissa scelera dissimulare nec possumus nec debemus; statuimus omnes vias tentare, quibus illam impiam manum expellamus ex illis locis et populos ditionis Ecclesiae in libertatem vindicemus; sed videmus, non posse nos id assequi, nisi illud perfugium ipsis eripiatur. Quocirca Nobilitatem Tuam hortamur, monemus et rogamus et vehementer obsecramus, ut iis, quae diximus, attente consideratis atque perpensis et aliis, quae tibi pro tua prudentia occurrere poterunt, des operam et cures ac vias omnes tu quoque persequaris, ne illi hominum generi amplius oppidum tuum pateat, sed e finibus tuis primo quoque tempore aut sua sponte recedant aut per vim ejiciantur, sicut nos quoque e nostris et Romanae ecclesiae (ditione) eos ejicere conabimur. Quod si facies, Catholici viri officio satisfacies et conscientiae tuae consules, magnamque maculam, nominis tui claritati inustam, delebis, apparebitque omnibus, sicut nos pro certo semper habuimus, ea, quae illic acta sunt ad hoc tempus contra honorem Dei et Ecclesiae, tibi displicuisse. Quod si tu, quod absit, segnius egeris, et si nos, qui te ut Catholicum virum et bonum et devotum Ecclesiae filium diligimus, inviti quicquam, quod tibi displiceret, facturi essemus, tamen cogemur ea inire consilia et ea experiri remedia divini honoris causa et nostri et quietis ac salutis subditorum nostrorum, quibus comitatum ipsum Venaissinum ac civitatem nostram Avenionensem, quorum querelae et gemitus ad nos assidue deferuntur, immo hinc pene exaudiuntur, nostrumque animum incredibili dolore excruciant, a tam infestorum hominum latrocinis, tandem aliquando illo eis adempto receptaculo, liberemus. Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die decima septima Octobris, millesimo quingentesimo sexagesimo tertio, pontificatus nostri anno quarto.

*Archivalia I, n<sup>o</sup>. 259.*